



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

Thadaeus Ugoletus, Georgio Anselmo Nepoti, Viro Eruditissimo S. P. D.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

THADAEUS UGOLETUS,
 GEORGIO ANSELMO
 NEPOTI,
 Viro Eruditissimo S. P. D.

M. Valerium Probum grammaticum acutum & diligentem, quam pluribus contractis exemplaribus veteres libros mendosos, & ob id propè neglectos, emendare, distinguere, adnotare solitum accepimus: nec ulli præterea grammatices parti deditum. Hunc morem sive temporum incuria, seu doctorum penuria, diu intermissum, & penè aboletum, paulo antè Laurentius Valla vir eloquens & eruditus, cum in aliis, tum in Liviana emendatione revocavit. Multi quoque ætatis nostræ celeberrimi nominis viri, & utriusque linguæ doctissimi, hunc æmulati, non minimum adminiculum liberalium artium studiosis attulerunt. Quorum exemplo cum me provocares, ut M. F. Quintiliani, Quintiliani (ut opinor) Institutionum oratoriarum scriptoris, avi: Declamationes (hoc est forensium actionum meditationes) quæ diu in ruinis linguæ Latinæ delituerant, emendarem: quò forensis eloquentia, quæ multis annis evanuit, his fundamentis restauraretur: aut saltem qualescunque apud me essent, impressoribus quotidie efflagitantibus, traderem, nec in arca strangulatas tenerem: quemadmodum hi quos festivè & eleganter (ut omnia)

B. G. L. C.

βιβλιοφάγος appellitare soles: in hoc quàm lubenter
 adquievi, in altero enixè repugnavi. Nam cùm
 trifariam exemplaria depraventur, appositione,
 aut commutatione, aut subtractione: multaque
 hujusmodi essent in his libris corrosis, squallidis,
 ac carie obsitis, utpote nuper è ruderibus erutis,
 quæ ex unico exemplari emendare desperarem:
 malui ut, qualescunque essent, tuo auspicio in lucem
 postliminiò redirent: quàm à tineis (ut major ea-
 rum pars) corroderentur. Confusas tamen antea
 leges, argumenta, declamationes, sermones (ne
 beneficium nostrum gratia sua fraudemus) sepa-
 ravimus: & in pristinam formam redigere cura-
 vimus. Correximus etiam nonnulla librariorum
 vitia, temporum nequaquam: multa intacta omi-
 simus, ne fortè magis depravaremus. B. V.

M. FABII